

## Beiheft.

S. 61.

1213 Dft. 10 Oldenzaal. Güterverkauf an das Stift Breden.

[16]

In nomine sancte et individue Trinitatis, amen. Res mundane cum mundo transeunt et mundus, quod suum diligit et plerumque mentes hominum a rebus transitorii levitatis contagio corruptuntur, ad hoc nostri maiores, ut huic corruptele consulerent, invenerunt remedium actiones hominum aut viva voce testium aut litterarum testimonio roborari. Sciant ergo tam presentes quam posteri, quod ego Bertoldus prepositus ecclesie Aldelsensis et totus conventus eiusdem ecclesie vendidimus ecclesie beate Felicitatis in Vredhena agros quosdam in Esterne cum decima ipsorum agrorum, quam possederat nostra ecclesia quiete ab antiquo. Verum enim vero ne venditionem nostram in posterum impedire[t]<sup>1</sup>) calumpnia, presenti pagina et eorum nominibus, qui venditioni affuerunt, cum fieret, et sigilli nostri signavimus firmamento. Affuerunt et consenserunt, cum fieret ista venditio, ego Bertoldus prepositus, decanus Constantinus, custos Theodericus, scolasticus Godefridus, Symon canonicus, Temarus canonicus et sacerdos, Johannes canonicus et sacerdos, Lambertus canonicus cum omni capitulo nostre ecclesie venditionem hanc suo consilio approbantes.

Ex parte vero ecclesie Vredhenensis affuerunt Ambrosius plebanus et canonicus eiusdem ecclesie, Johannes sacerdos et canonicus, Elardus canonicus, Wernerus canonicus, Bernerus canonicus; Gevhardus de Ellenwic, Grifph de Merste milites et ministeriales (ecclesi)e<sup>1</sup>); villicus de Lyntho Rolf; Gertrudis preposita, Jutta decana, Regewiza custos et totus illius ecclesie conventus.

Actum publice in nostro capitulo Aldelsele anno dominice incarnationis M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup>XIII<sup>o</sup> indictione I<sup>a</sup> VI<sup>o</sup> Idus Octobris regnante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum amen.

Orig. Siegel ab; die Urkunde ist in verschiedenen Absätzen mit verschiedener Tinte geschrieben. Lade 217, 1 Nr. 1.